

*IV. Epistola Domini Huxham, M. D. ad Jacobum Jurin, M. D. R. S. & Coll. Med. Soc. de Morbo Colico singulari.*

**V**I R quidam Quadragenarius, biliosus, Scorbuticus, inter Optimates Damnonios haud infimus, nuper interiit, Pietatem propter erga Deum, propter universam erga Homines Charitatem, ab omnibus maxime desideratus.

Diu ille multumque Colicis quibusdam Doloribus, inferiorem præcipue Abdominis Regionem infestantibus, labotaverat, Flatu porro perpetuo & molesto. His Biennium circiter, aut Triennium ante mortem, accessere Dejectiones biliosæ, purulentæ, fœtidissimæ cum strigmentis sæpe mucosis, sæpe sanguineis; ita frequentes insuper, ut persæpe intra tres, quatuorve Horas Alvus vel vicies solveretur, persistente usque Tenebro: tandem quoque prodire Carunculæ fungosæ, lividæ, tetræ, quarum aliquæ magnitudinis saltem nucis myristicæ. At vero utcunque alvus citissime ægrotum plerumque exercebat; nonnunquam tamen, morbo præsertim ingruente, foret adstricta valde cum horrendo Tormento; nec nisi clystere ducta, aut catharticis irritata responderet. Subinde interea quasi Famineus oblatæ quæcunque voraret; subinde ne quidem Delicatula, vel ad Dapes exquisitissimas nauseanti, placerent: Æger autem indies emacuit. Fuit illi urina parcior & semper biliosa: Color vultus luridus, sæpe subflavus.

Tam



Tam dira, tam longa mala infra&to admodum forte  
que plane animo pertulit, donec supervenerunt demum  
Tumor Pedum Oedematosus, Delirium, Facies *Hip-*  
*pocratica*, sudor frigidus & oleosus, certa, elieu nimis  
certa! Mortis Prænuncia.

Varia fuerunt a variis præscripta medicamina, iis que  
utique in Arte exercitatissimis celeberrimisque Viris;  
ex Ipecacuana : Scilicet *Emetica*, *Stomachica*, *deob-*  
*struentia*, *glutinantia*, *Balsamica*, adstringentia,  
*Clysmata* multifaria, omnigena ; incassum omnia, ni  
quod Laudanum, ad breve Tempus, foret misero Solamen.  
Quid Aq. Bristol. & Bathoniensis, Quid Spada-  
na & Pyrmontensis ; Quid obstinata, quid accuratissi-  
ma è Lacte & Vegetabili Diæta potuerint inani omnino  
opera experiebatur ; ut ut per breves aliquot Dies  
paululum aliquando recreatus videretur.

Sicut Vir optimus, dum viveret, omnibus prodeesse  
alacriter, assidue studebat ; sic, vel moriens, se publico  
devovit Commodo ; rogans obnixe, ut, Cadavere in-  
ciso, Causam morbi tam pertinacis, tantam eludentis  
Artem, perscrutaremur ; ut melior forte, detecta nem-  
pe Causa, pateret medendi methodus, si quis alias for-  
san tali corriperetur morbo.

Aperto Abdomine perspeximus Omentum consump-  
tum plane & putridum, Hepar prætumidum & *Schir-*  
*rofis* Tuberculis, subalbidis, duris, refertum ; Ves-  
culam felleam Bile subnigra semiplenam ; totum Duo-  
denum cum vicina Coli Parte eodem Colore perfusum :  
Pancreas maxime Schirrosum : medium Ilei Partem ad  
quinque fere Digitos inflamatam & ferme lividam.  
Renes erant sani satis, nec Glandulæ mesentericæ æque  
*Schirroæ* ac expectâsemus.

At quod maxime notandum Pars Coli Intestini suprema, quam Veteres Cœcum nominarunt perperam (cum id potius ejusdem Appendix, ab iisdem ita nominatae, conveniat) in hocce Cadavere non, quod assolet, Reni dextro, seu potius internæ Peritonæi Laminae Renem contegenti, adnexa fuit, mediante Appendix vermiculari, sed in Pelvim delapsa tres circiter infra Tulpii Valvulam Digitos cum superiore Parte Intestini recti firmissime concreverat : Porro levius adhaesit Peritonæi Tunicae super Vesicam urinariam expansæ, sursum inde reflexa, faciens cum superiore Intestini Parte (si ita dicam) angulum valde acutum, sub cavo dein Hepatis ascendens & infra Ventriculi Fundum porrecta descendebat more solito & in Rectum desinebat. Cum primum autem notavimus ambo Intestina & supra infraque adhesionem Gangræna affecta esse, suspicentes hic latuisse Fundamenta malorum, caute admodum lenteque processimus Scalpello imprimitis aperiendo Rectum Intestinum, quod ubi factum, vidi mus internam Tunicam *Sphacelatam* omnino, nigram quasi Atramento imbutam & maxime putidam ; huic porro adhaerentes sex, septemve Carunculas subnigras, fungosas, quarum minores magnitudine nucem avellanam æquabant. Perscrutantes ulterius, Ulcus percepiimus ex hoc Intestino in Colon, ubi cohærebant, penetrans, Digo mediocri facile patens : Intestina vero adeo putrida, ut vix Tactum ferrent leviorem. Majorem Coli Partem Excrementis induratis observavimus infartam, et si plures liquidas Alvi Dejectiones habuit, paulo ante mortem ; tenuioribus nempe directe in Intestinum rectum per ulceratum orificium transeuntibus ; solidioribus autem in Colo restantibus. Vesica urinaria fuit flaccida valde, intusque muco subrufo oblita.

En

En fidam utique, licet minus elegantem morbi Historiam ! En quid inciso Corpore perspectum ! Ex quibus conjectura haud difficilis, quæ fuit Causa morbi : Ex Anatomicis enim notum est, quod Concretio Intestinorum inter se aut cum Peritonæo, motum peristalticum minuit maxime. Vid. Cowperi Anatomiam Explic. Tab. 34. Unde ad Locum Congluti- nationis tarda admodum debilisque Excrementorum Impulsio, eorundem Congestio, Remora sequentibus ; forte duris & acutis lædentibus, qualia Ossa Pruno- rum deglutita, aut tale quid ; forte acribus & biliosis Humoribus non satis valide motu vermiculari propul- sis, sed ad Angulum Coli acutum subsistentibus ; ex- inde aut Intestini Inflammatio, aut Corrosio, Ulcus denique sequebantur ; tandemque, in Homine valde *Cachectico, Gangræna.*

Plymouth, Prid.  
*Id. Mart. 17<sup>o</sup>.*